

nendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a S. Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius, aut crebrius Dominic Corporis suavitatem degustet. Praeterea Bened. XIV. in praeclaro suo opere de Synodo L. 7. C. 12. eruditus statuit, non esse deviandum ab hujus decreti semita, postea subjungit: Praecipue vero monendi sunt Confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant, aut permittant, qui in gravia peccata saepe labuntur, nec de poenitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt solliciti; sicuti nec illis, qui etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem; qua de re legendi sunt S. Franc. Salesius Philotheae P. 2. C. 20. et Joannes Taulerus Serm. 4. in festo Ven. Sacram.

385. Huc pertinet propositio 56. ab Innoc. XI. damnata: *Communio, et Confessio frequens etiam in iis, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis. Ratio damnationis: vel enim sensus est, gentiliter vivente posse se disponere rite ad quotidie confitendum aut communicandum; vel sensus est, si confessiones et communiones sacrilege peragantur, posse tamen esse signum salutis: atqui utroque sensu delira et falsa est propositio; cum ejusmodi signum fundetur et consistat in perseverante obseruantia divinae legis: ergo. Ita P. Cardenas in dict. propos.*

Pariter recte damnata est ab Alexandre VIII. propositio 23. *Ratio est; quia Trid. sess. 13. C. 7. explicans illud Pauli 1. Cor. 11. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, nullam aliam requirit dispositionem necessariam, quam ut homo dispiciat, an sibi conscius sit peccati mortalis, et si illud repererit, non doleat tantum eliciendo contritionem, sed etiam sacramentaliter confiteatur; quae doctrina manca dici nequit; atqui esset manca, si praeterea amor Dei purissimus requireretur: ergo non requiritur necessario ad s. communionem amor Dei purissimus: ergo nec arcendi sunt a communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers, ut sonat propositio damnata. Confirm. 1. A communione tantum arcendi sunt constituti in peccato mortali: atqui talis amor Dei, qui non est expers omnis mixtionis, non est peccatum mortale, ut patet ex prop. 7. ab Alex. VIII. damnata: ergo. Confirm. 2. Constat ex C. Toletano II. Can. 11. pueris hujus amoris purissimi etc. incapacibus datam fuisse Eucharistiam; ergo non requiritur necessario talis amor. Variae ss. PP. sententiae probant, conveniens esse, amorem purissimum habere, non vero, quod absolute necessarius sit ad Eucharistiam digne suscipiendam.*

ARTICULUS II. *De Eucharistia, ut est Sacrificium.*

§. I. *Praenotanda.*

386. I. *Sacrificium 1. latissime sumitur pro omni actione, quae in gloriam Dei cedit, ut oratio secundum illud Psal. 49. Sacrificium laudis honorificabit me. 2. Adhuc late sumitur pro oblationibus, quae fiunt in usum templi, sive ejus ministrorum: sic in sensu vulgi primitiae, et decimae saepe vocantur sacrificia. 3. Proprie sumitur pro oblatione soli Deo facta cum destructione seu immutatione rei oblatae. Unde Sacrificium proprie dictum communiter definitur: Oblatio externa rei sensibilis cum ejus destructione vel immutatione soli Deo facta per legitimum ministrum in protestationem supremi ejus dominii in vitam et necem, sive in omnes res creatas. Dux 1. Oblatio externa; sic convenit cum aliis oblationibus primtiarum et bonorum operum, quae ad Deum referuntur.*

2. Dux: *Rei sensibilis;* per hoc distinguitur a Sacrificio contriti cordis, et actuum internorum fidei, spei, charitatis, qui ab hominibus elicuntur in protestationem excellentiae divinae. *Omnis quippe Pontifex,* ait Apost. Hebr. 8. *ad offerendum munera et hostias constituitur.* Porro cum homines per sacrificia coadunentur in unius ejusdemque religionis cultum, neque possint inter se communicare, nisi signis sensibilibus manifestent actus internos, ideo Sacrificium proprie tale recte definitur, oblatio rei sensibilis.

3. Dux: *Cum ejus destructione, vel immutatione:* per quae verba Sacrificium proprie tale differt a caeteris oblationibus rerum sensibilium, in quibus res oblata nec physice, nec moraliter est destruenda, ut legitur Levit. 16. de Sacrificio capri emissarii, qui non occidebatur, sed tanquam exul in solitudinem emittebatur. Additur, *vel cum immutatione;* quia ad Sacrificium proprie tale non semper requiritur necessario destructio realis et totalis, sed sufficit moralis; sic in Sacrificiis libaminum effundebatur vinum; oleum etc., quae effusio licet non sit destructio physica vini, est tamen moralis, quatenus liquores illi effusi non amplius ad priorem usum idonei sunt.

4. Dux: *Soli deo facta:* quia per rei oblatae destructionem sive physicam, sive moralem agnoscimus Deum esse rerum omnium Dominum, profitemurque nos totos supremae illius majestati devovere cum victima: hinc nulli Sancto, nulli creaturae Sacrificium offerimus, teste S. Aug. qui L. 20. contra Faustum Manichaeum c. 21. ait: *Quamvis in memoris Martyrum constituamus Altaria, quis Antistitum in locis Sanctorum Corporum assistens Altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.*

5. Dux: *Per legitimum ministrum:* cum enim Sacrificium sit cultus Dei publicus et in Religione excellentissimus, debet fieri ab habente publicam auctoritatem, qui legitime fuerit ordinatus, ut patet ex illo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus... nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

6. Dux: *In protestationem supremi ejus dominii etc.;* hic enim est directus ac primarius finis Sacrificii, sique distinguitur a Sacramento, cuius finis directus ac primarius est sanctificatio hominis: per Sacraenta Deus nobis praebet gratiam, nos per Sacrificium Deo offerimus supremum cultum. Plura de hac definitione vide apud Joan. Clericatum in Decis. Sacralment. de Sacrificio Missae.

387. II. *Sacrificium ratione materiae dividitur primo in Hostias seu Victimæ, quando Deo offerebantur ritu solemnis animantia, videlicet oves, capri, boves, columbae etc. Item in Immolationes, quando Deo offerebantur res inanimatae, sed solidæ, ut panis, thus, etc. Denique in Libamina, quae constabant ex liquidis, v. g. vino, oleo etc. de quibus passim in LL. Levit., Num. et alibi.*

388. Secundo. *Ratione formæ Sacrificium dividitur in Holocaustum,* quae erat perfectissima Sacrificii species, in quo res tota destruebatur, ita ut nihil inde cederet in usum hominum, in signum supremi Dei in omnes res creatas dominii, et perfectae nostræ a Deo dependentiae. Item in *Hostiam pro peccato,* quando res oblata partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex oblatis vescebantur, unde dicebantur comedere peccata populi, h. e. victimas pro peccatis oblatis. Denique in *Hostiam pacificam,* quae solebat offerri in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vel ad nova impetranda.

389. Tertio. *Ratione finis* Sacrificium aliud olim erat *Latreuticum,* a

cultu latriae sive perfectae servitutis, qui Deo rerum omnium supremo Domino exhibetur, hic elucebat potissimum in holocausto: aliud *Eucharisticum* in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; aliud *Impetratorium* pro accipiendis: denique aliud *Propitiatorium* ad placandum Deum, offerebaturque pro peccatis et pro peccatorum poenis: omnia haec Sacrificia legalia cessant in lege gratiae, quae figurabant hostiam perfectissimam, et sacrificium Corporis et Sanguinis Christi. Unde *S. Leo* serm. 8. de Pass. ait: *Carnalium Sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una Corporis et Sanguinis implet oblatio*.

390. III. Eucharistia est verum ac proprie dictum Sacrificium, quod in missa peragitur, in quo *idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruento obtulit*, ut docet *Trid. sess. 22. C. 2.* Ibid. *una eademque est hostia*, scil. quae in cruce oblata est, et in missa offertur, *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio*, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa*; videlicet tunc cruento modo, nunc incruento. Idem *Trid. sess. 22. can. 1.* ita definit: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Ibid. *Can. 4.* *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in cruce peracto per Missae Sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.* Ibid. *Can. 2.* *Si quis dixerit, illis verbis: Luc. 22. v. 19. hoc facite in meam commemorationem: Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliquie Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.* Huc etiam pertinet *Baji* propositione 45. damnata. *Probatur secundo ex eodem C. 22. s. Lucae, Eucharistiam esse verum Sacrificium. In ultima coena Christi Corpus pro nobis datum est (Accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Item 1. Cor. 11. v. 24. Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Textus Graecus habet, *quod pro vobis frangitur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον*, juxta alios codices *τὸ πρόπτερόν τοῦ*. In eadem quoque coena Sanguis Christi pro nobis effusus dicitur: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur, in graeco funditur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐχυρωθεντέον;* eodem modo in praesenti exprimitur in graeco textu Marci c. 14. v. 24., similiter exprimitur in praesenti c. 26. Matth.: atque verba ista, *datur, funditur, frangitur* significant, dari corpus et sanguinem in Sacrificium verum; non enim ait Scriptura, *vobis*, sed *pro vobis* datur, idest offertur sub speciebus panis et vini Patri coelesti; ergo.

*Neque dicas: praesens in graeco textu sumitur pro futuro, ideoque textus latinus continuo habet: effundetur. R. 1. contra HH. alias continuo provocatur ad litteram textus originalis contra latinum, cur hic non? R. 2. Datur, funditur, frangitur sumitur tantum pro futuro N.; partim pro futuro, partim pro praesenti C. τὸ datur tum in graeco, tum in latino exprimitur in praesenti, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc. 22. v. 19. τὸ frangitur 1. Cor. 11. pro solo sacrificio in cruce nequidem potest sumi. Neque funditur in graeco et fundetur in latino pugnant inter se: futurum enim sive futura mors Christi in cruce eo tempore, quo Christus protulit ista verba, non excludit mysticam et incruentam Christi immolationem, sed potius verbum de praesenti, *funditur*, denotat praesentem effusionem sanguinis mysticam, verbum autem de futuro, *effundetur*, significabat futuram tum cruentam ejusdem Sanguinis effusionem in cruce, tum incruentam in Sacrificio missae, utpote quod institutum fuit in perpetuam memoriam illius cruenti. Neque Christus simpliciter tantum dixit: *hoc comedite, bibite, sed**

facite, h. e. offerte, sacrificiate in mei memoriam: facere enim saepe in Scriptura sumitur pro sacrificare, ut Levit. 15. v. 15. *faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum: item 3. Reg. 18. v. 23. ego faciam bovem alterum.*

Confirm. 1. ex prophetia *Malachiae*, quae c. 1. v. 10. ita legitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra: v. 11. In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Ex quo textu colligitur in primis Sacrificia Iudeorum sublatum iri, deinde novum esse instituendum; atqui per hoc aliud intelligi non potest, quam Sacrificium missae: *primo enim intelligi nequit Sacrificium Iudeorum, tum quia prophetia aperte affirmat, munus a Judaeis non amplius susceptum iri, tum quia Judaei non sacrificabant in omni loco, sed solum in Iudea in templo Hierosolymitano; secundo non potest intelligi solum Sacrificium cruentum in cruce; quia hoc tantum semel, et in uno loco fuit oblatum.* *Tertio* nec potest intelligi sacrificium laudis, pia opera, preces et alia sacrificia labiorum, quia ista jam fuerunt ab initio mundi; nec ista sunt sacrificia proprie dicta, sed cum addito, *laudis*: ergo per dictam oblationem mundam in cit. t. debet intelligi Sacrificium Missae, quod in toto mundo offertur, estque mundissimum tam propter hostiam, quam propter principalem offerentem Christum Dominum, quam interpretationem sequitur *Trid. sess. 23. C. 1. cum ss. PP. Justino, Irenaeo, Chrysost. in Ps. 95. Theodoreto, Hieron. et aliis.*

Confirm. 2. ex C. 7. epist. ad *Hebr.* ubi s. Paulus probat, Christum esse Sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech: ergo etiam Christus debet offerre Sacrificium: *omnis enim Pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur; unde necesse est, et hunc habere aliquid, quod offerat;* *Hebr. 8.* et quidem eo ritu, quo Melchisedech obtulit, scilicet in pane et vino.

Confirm. 3. ex epist. 1. Cor. 10. ubi Apostolus ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Per quam benedictionem s. Paulus intelligit sacrificium proprie dictum; ut patet ex verbis sequentibus: *Quae immolant gentes, daemonii immolant, et non Deo: nolo autem vos socios fieri daemoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Hic opponit Apostolus altare Christianorum altari gentilium in eo, quod in mensa Christianorum oblatio panis et calicis fiat vero Deo, in mensa vero gentilium immoleatur daemoniis, per mensam autem utrobique altare intelligitur; ait *Trid. sess. 21. C. 1.*

Confirm. 4. ex perpetua traditione et doctrina Ecclesiae et consensu Patrum de veritate hujus Sacrificii. *S. Aug. L. 1. contra adversarium Legis C. 2. ad illud Psalmi 109.* Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, ait: *Noverunt, qui legerunt, quid protulerit Melchisedech. Vident nunc tale Sacrificium offerri Deo toto orbe terrarum: Dei autem juratio est incredulorum increpatio, et quod Deum non poenitebit, significatio est, quia hoc Sacerdotium non mutabit: mutavit quippe Sacerdotium secundum ordinem Aaron. Similia lege L. 16. de Civ. Dei C. 22. L. 17. S. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. ait: Pro brutorum caede se ipsum offerendum praecepit. Plura refert Bellarm. L. 1. de Missa, praesertim. C. 15.*

391. IV. Missa recte definitur: *Sacrificium novae legis, quo Christus sub speciebus panis et vini a Sacerdote rite ordinato soli Deo incruente in memoriam Sacrificii cruentis crucis offertur tam pro vivis, quam pro defunctis.* Eidem convenient omnes conditiones ad Sacrificium vere ac proprie dictum requisitae. In primis adest hostia, principalis quidem Corpus, et Sanguis Christi sub speciebus panis et vini, minus vero principalis panis et vinum;

adest *oblatio externa*, et quidem in caeremoniis solemnissima: adest *oblatio rei sensibilis*, quatenus Corpus et Sanguis Christi fit sensible per species panis et vini. 2. Adest legitimus *Minister* sive offerens, principalis ipse Christus Dominus, secundarius vero Sacerdos valide et legitime ordinatus. 3. Adest *destructio* sive *immutatio hostiae*: *mystica* quidem, quia vi verborum primae et separatae consecrationis ponitur solum corpus (concomitantem tantum sanguis, ut dictum est n. 249.) et vi verborum secundae consecrationis solus sanguis, adeoque sanguis mystice separatur a corpore, quae est *destructio* et *mactatio* quadam *mystica*: eatenus *moralis* *destructio* adest, quatenus repraesentatur *destructio vera*, et cruenta immolatio Christi in cruce, et physica separatio animae Christi a Corpore: physice vero hoc sensu destruitur, quatenus *destructa substantia* panis et vini Christus vivus mortuo quodam modo ponitur et in statu ad operandum inepto: nam existit ibi definitive; sub parva enim particula Christus per consecrationem in eo statu ponitur, qui non est connaturalis singulis partibus, quae ad exercendas operationes connaturaliter exigunt, ut sint extensae, et pars extra partem. Denique juxta alios eatenus fit vera *destructio* in sumptione, quatenus consumptis speciebus panis et vini cessat ibi existere sacramentaliter Christus. 4. Haec *oblatio* fit soli Deo, ut iterum patet ex praxi et sensu Ecclesiae, et supra n. 386. ex S. Aug. fuit probatum. Haec omnia aperte docet Trid. sess. 22. C. 1.: *Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ora crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illuc redemtionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visible, sicut hominum natura exigit, relinquaret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum, repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem specierum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecipit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem.*

392. V. Ex his porro liquet Sacrificium Altaris 1. contra aequivocationem Novatorum esse Sacrificium *reale* realitate hostiae praesentis, non tantum figurae, imaginis et repraesentationis. 2. *verum*, non fictum, neque metaphoricum propter veram et actualem praesentiam Christi. 3. proprio dictum ex oblatione proprio dicta, et non tantum propter commemorationem et repraesentationem proprio dictam, neque propter solam applicationem meritorum passionis Christi. Ita Honoratus Tournely in Praelect. Theol. de 7. Sacram. Tom. 2. de Euch. q. ult. a. 3.

393. VI. Quaestionem, in quo consistat essentia Sacrificii Missae, vide latius explicatam in Theol. Schol.; hic praenotasse sufficiat, in Sacrificio Missae duo principaliter spectanda esse, scil. *rem*, quae offertur vel sacrificatur, et *actionem* sacrificandi. Res quae offertur, est ipse Christus Dominus sub speciebus panis et vini, ita ut species non pertineant ad Sacrificium tanquam partes, sed tanquam conditio, ut Sacrificium reddatur sensible; species enim non offeruntur Deo in Sacrificium, nec habent rationem victimae; ergo nec spectant ad essentiam Sacrificii tanquam partes: solus autem Christus *incruente immolatur*, qui in *ara crucis* semel *seipsum cruento obtulit*, ut ait Trid. Sess. 22. C. 2. Ita Tournely l. c. a. 3. Juxta alios, qui sentiunt cum Suarez hic D. 75. s. 5., species panis et vini intrinsece per-

tinent ad rem oblatam in hoc Sacrificio, quia Christus *novum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*, ut ait Trid. sess. 22. C. 2. Juxta eosdem panis et vinum offeruntur in hoc Sacrificio tanquam materia, ex qua Sacrificium conficitur. Vide Suar. l. c.

394. Ex parte ministri sacrificantis sex potissimum actiones distinguuntur, e quibus probabilius essentia Sacrificii consistit in sola consecratione utriusque speciei, tum quia haec actio sola fit a Sacerdote in persona Christi, dum dicit: *Hoc est corpus meum; Hic est etc.* tum quia sola consecratio perfecte repraesentat Sacrificium crucis, immolat Christum; non solum enim est actio *productiva*, quatenus Christum ponit et facit esse vere et realiter praesentem sub speciebus vivum, sed etiam est *destructiva*, tam mystice, et quoad significationem, quae formaliter habetur vi verborum separando corpus a sanguine, quam moraliter et quasi physice, quatenus Christum vivum ponit mortuo quodam modo atque ad operandum inepto. Praeterea haec actio exprimitur in ipsa institutione: *Hoc facite in meam commemorationem.* Denique forma, qua ordinantur Sacerdotes, solam protestatem hujus actionis exprimit: ergo. Vide Bossuet in Exposit. Missae pag. 45. et in Exposit. doctrinae Catech. circa Sacrif. p. 149., Suar. hic D. 75. sect. 5.

395. Reliquae vero actiones non pertinent ad essentiam hujus Sacrificii: ac 1. Non *oblatio panis ac vini ante consecrationem*, nec *oblatio Corporis et Sanguinis sub speciebus*, quae fit post consecrationem, quia Sacrificium proprie tale ex definitione et ex usu Legis Mosaicae non consistit in nudis verbis, quibus hostia offertur, sed in actione, per quam destruitur et immolatur: atqui utraque *oblatio* consistit in solis verbis, nec destruit aut immutat hostiam: ergo. Confirm. Sacrificium Missae principaliter offeratur in persona Christi; verba autem, quibus utraque *oblatio* constat, non dicuntur in persona Christi, sed Ministri et nomine totius Ecclesiae; ergo utraque *oblatio* non est sacrificativa, sed caeremonialis. 2. Sacrificium non consistit essentialiter in sumptione, sive in communione Sacerdotis; quia sumptio non est actio nomine Christi facta; praeterea sumptio potius significat sepulturam, quam mortem Christi. Adde quod Christus, qui in ultima coena sacrificavit, non legatur sumpsisse Corpus et Sanguinem suum. Ita plures contra Ledesma: item contra Lugonem et Tournely, juxta quos sumptio saltem partialiter cum Consecratione constituit hoc Sacrificium. 3. Multo minus sumptio Eucharistiae, quatenus fit a populo, est pars Sacrificii; tum quia jam perfectum supponitur Sacrificium, quando populo distribuitur Eucharistia; tum quia saepe Sacrificium Missae celebratur absque ulla facta populo distributione. Adde, quod tota actio sacrificandi immediate fit a Sacerdote; ergo sumptio populi nequidem partialiter spectat ad rationem Sacrificii. 4. Nec fractio et commixtio hujus Sacramenti pertinet ad essentiam Sacrificii; quamvis enim Christus panem fregerit, id tamen non fecit ad certum mysterium significandum, sed ut distribueret inter Apostolos; neque post fractionem miscuit panem cum vino consecrato, sed Discipulis mox porrexit ad manducandum. Hinc juxta S. Th. 3. P. q. 8. a. 6. ad 6. horum (scil. mixtionis et fractionis) *praetermissio non facit imperfectionem Sacrificii*. Hinc si casu eveniret, ut hostia consecrata e manibus Sacerdotis laberetur in calicem, non esset frangenda, nec extrahenda e calice, sed pariter cum speciebus vini sumenda cum formula: *Corpus et Sanguis D. N. I. C. etc.* ut habet Missale de Defect. in ministerio ipso occurrentibus §. 10. n. 11. Ergo patet, quod fractio non pertineat ad essentiam Missae.

396. VII. Sacrificium hoc Novae Legis vocatur *Missa a verbo mittere*:

1. quia Christus est hostia nobis a Deo missa; 2. quia populus per Sacerdotes ad Deum preces suas in Sacrificio mittit; 3. quia in fine Missae, peracto Sacrificio, populus dimittitur dicente Sacerdote vel Diacono: *Ite Missa est. Tourn. l. c. a. 1.* Porro vox *Missa* quidem non reperitur in s. Scriptura, sufficit tamen rem hoc nomine significatam ibi contineri, estque frequen-tissima haec vox apud veteres scriptores, ut apud *S. Greg. hom. 8. in Nativ. Dom., S. Ambros. L. 5. ep. 33. ad Sororem, S. Aug. serm. 91. de tempore etc.* Graece vocatur *Liturgia*, quod de se significat mysterium seu officium publicum, specialiter Sacerdotium Christi, ut ipsemet *Petrus Mintert* acatholicus in suo Lexico graeco-latino interpretatur. Ideoque Graeci recte Missam vocant liturgiam, non tantum sumentes id pro ministerio, sed et specialiter pro Sacrificio ipso N. L. Sic ad Hebr. 9. v. 21. vasa Sacrificii graece exprimuntur τὰ σκενή τῆς λειτουργίας Sic Luc. 1. v. 23. dies officii Zachariae, quibus Sacrificium obtulit in templo, vocantur ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ. Act. 13. *Ministrantibus illis Domino*, graece legitur: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. Prima pars Liturgiae sive Missae, quae se extendit usque ad Offertorium exclusive, vocatur *Missa Cathechumenorum*; quia olim catechumeni et poenitentes ante Offertorium foras mittebantur, remanentibus fidelibus per baptismum et poenitentiam purgatis; reliqua pars Missae dicebatur *Missa fidelium*, qua finita Diaconus dimittebat populum, exceptis Quadragesimae diebus, et aliis feriis, maxime quando indictum erat jejunium; tum enim Sacrificium sero offerebatur, et mox Officium vespertinum persolvebatur, ad quod Diaconus astantes horabatur dicens: *Benedicamus Domino.*

§. II. *Principia practica de Sacrificio Missae.*

397. Princip. I. Sacerdotem, ut rite offerat, oportet in primis scire, quod Sacrificium Missae ex fine suo, in quem offertur, sit quintuplex: 1. *Latreuticum*: qui est cultus latriae sive adorationis Dei tanquam supremi Domini perfectissimus. 2. *Eucharisticum*, sive gratiarum actorum pro omnibus beneficiis a Deo acceptis, praesertim pro beneficio Redemptionis per passionem et mortem Christi; quae gratiarum actio Deo est acceptissima, quia pro concessis beneficiis eidem offertur hostia omnium praestantissima, scilicet Christus ipse. 3. Est *Impetratorium*, quatenus varia beneficia et bona tum animae, tum corporis a Deo impetrat iis, qui offerunt, et pro quibus offertur. 4. Est *Propitiatorium*, quia ex opere operato causat remissionem peccatorum quoad culpam, sed mediate tantum, quatenus immediate impetrat gratias ad rite poenitendum necessarias. 5. Est *Satisfactorium*, quia itidem ex opere operato et quidem immediate causat vivis et defunctis remissionem poenarum temporalium peccatis remissis debitarum per applicationem meritorum Christi. Hanc doctrinam semper Catholicam stabilivit *Trid. sess. 22. Can. 3.: Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis; aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

398. Princip. II. Ex dictis fructus Sacrificii, ratione causalitatis, sive ex parte rei causatae, 1. alias est *impetratorius*, quatenus vi hujus Sacrificii et offerens, et is pro quo offertur, accipit dona tum supernaturalia, tum naturalia distincta ab augmento gratiae. 2. Alius *meritorius* consists in augmento gratiae, cuius capaces sunt ii, qui existunt in statu gratiae. 3. *Propitiatorius*, quatenus dantur auxilia ad agendam poenitentiam. 4. *Satisfactorius*, quo satisfit pro poenis temporalibus peccatorum: hic fructus

non prodest existentibus in peccato mortali, poena enim non remittitur nisi remissa culpa.

Fructus Sacrificii ratione realitatis, sive ex parte participantium iterum 1. alias est *Generalis*, qui redundat in totam Ecclesiam, et omnes Christi fideles tam vivos, quam defunctos. 2. *Specialis*, quem participat ille, pro quo ex intentione Sacerdotis Missa offertur. 3. *Specialissimus*, qui pertinet ad ipsum Sacerdotem celebrantem. Hinc Sacrificium Missae offertur, 1. pro omnibus fidelibus Christianis vivis, sive justi sint, sive peccatores, ut his proposit ad poenitentiam, illis ad augmentum justitiae, ut constat ex *Canone Missae*: *Quod tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica . . . et omnibus orthodoxis, atque Catholicae et Apostolicae fidei cultoribus.* Et ratio est, quia omnibus potest prodesse, vel ut propitiatorium, vel ut satisfactorium, vel ut impetratorium. Excipe hic *excommunicatos non toleratos*, qui scil. per sententiam judicis nominatim ac publice ut tales sunt denunciati; quia illi ab Ecclesia sunt ejecti, ejusque publicis suffragiis privantur c. A. nobis. 28. de sentent. excomm. item c. *Sacris*. 38. ibid. Unde *Laym.* juxta communem doctrinam infert ex hac prohibitione Ecclesiae Sacerdotem peccare graviter, qui pro excommunicato non tolerato Missam offert; potest tamen Sacerdos indirecte et privatim pro tali orare in *memento vivorum*; imo eatenus publice, in quantum offert Sacrificium pro convertendis omnibus peccatoribus, quia de hoc nulla facta est prohibitio, ut ait *Suar. hic D. 78. Sect. 2. in fine.*

2. Juxta *Laym. L. 5. t. 5. c. 2. n. 9.* ex communiore DD. sententia licite offertur Missa pro infidelibus Paganis et Judaeis per modum depreciationis, ut ad fidem Christianam convertantur; ut patet ex usu et praxi Ecclesiae, quae semper oravit et Sacrificium obtulit pro tranquillitate publica, pro extirpatione haeresum, et pro dilatanda et propaganda vera fide, quae dilatio fieri nequit, nisi per conversionem infidelium et haereticorum: et haec quidem directe tendunt ad bonum publicum Ecclesiae, indirecte tamen ad conversionem infidelium. *Suar. l. c. adhuc plus concedit*, quod non tantum in genere liceat offerre Missam pro infidelium conversione, sed etiam in particulari pro hac vel illa natione, aut persona; quamvis consuetudini Ecclesiae magis consentaneum censeat, nunquam expresse nominare personam infidelem, ut ab aliis audiri possit, ne scandalum ingeneratur. In eadem Sect. affirms *Suaresius*, Missam etiam posse offerri pro catechumenis fidelibus nondum baptizatis; quamvis enim hi non eum sint uniti Ecclesiae per baptismum, neque in externa facie Ecclesiae censeantur fideles, sive membra Ecclesiae, sunt tamen eidem uniti per fidem: ideoque ad Ecclesiam pertinent saltem voto sive desiderio, sicut Novitii ad Religionem. *Confirm. ex S. Aug. qui epist. 109. ad Vitalem dicit*, Sacerdotem stantem ad altare orare pro catechumenis, ut illis Deus inspiret desiderium regenerationis; unde patet, quod eis possit prodesse ista oblatio quoad fructum impetrationis; probabilius autem fructus satisfactionis eis non potest applicari, quamvis pro iis liceat offerre alia suffragia per jejunia, preces, eleemosynas etc. Quod aliquando catechumenis defunctis denegata fuerint suffragia publica, juxta *Henriquez* intelligendum est de iis, qui culpa sua baptismum suscipere neglexerant.

3. Sacrificium Missae recte et salubriter offertur pro animabus in purgatorio existentibus ad mitigationem, vel plenam poenarum solutionem, non tantum per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato obtinendam. Ratio est: quia sunt vera et viva membra Ecclesiae: ergo etiam capacia fructus Sacrificii satisfactorii. Vide *Tridentinum* cit. supra n. 397. Idem in eadem sess. 22. c. 2. ita docet: *Quare non solum pro fidelium*